

COMPETENTIA
IVRISDICTIONIS INTER
REVERENDISSIMVM
MINISTRUM GENERALEM,
ET
COMMISSARIVM INDIARVM
MATRITI RESIDENTEM, ORDINIS MINORVM
SANCTI FRANCISCI
DE OBSERVANTIA.

QVATVOR in quæstionem vocantur. Primum, vtrùm Reverendißimus Minister Generalis eādem, seu maiorem penes se retineat potestatem pro absoluto regimine Familiæ Indicæ, ea, quam Commissarius ex iniuncto sibi munere sortitur?

Secundum, an ad Reverendißimum Ministrum Generalem privativè pertineat electio, seu deputatio Procuratorum, Agentium, & Responsalium, qui in Regia Matritensi, Romæ, & aliubi pro negotijs Seraphicæ Religionis destinantur?

Tertium, an ad ipsum etiam privativè pertineat electio Vicce-Commissarij Indiarum, Hispali commorantis?

Quartum, an electio Commissariorum Generalium, Mexicani, & Peruani sit præcipua eiusdem Reverendißimi Ministri Generalis?

AD PRIMVM.

1 PRæmittendum est, Reverendißimum Ministrum Generalem, infrà Pontificem Maximum, Monarchicam & absolutam habere iurisdictionem pro regimine totius Familiæ Seraphicæ, vbivis terrarum existentis, vt expresè cavetur in Regala Sancti Francisci, cap. 1. *Frater Franciscus promittit obedientiam, & reverentiam Domino Papæ Honorio, & successoribus eius Canonice intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ; & alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire.* Et cap. 8. *Vniversi Fratres vnum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum, & servum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire.* Et cap. 10. *Fratres vero, qui sunt subditi recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Vndè firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promisserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ.* Et in Bulla Vnionis *Leonis X.* in hæc verba: *Quia in primis volumus; & ordinamus, provt in dicta* Re-

Regula Beati Francisci continetur, vnum Ministrum Generalem totius Ordinis de cætero omnibus, & singulis Fratribus eiusdem Ordinis, cum plenaria potestate, quæ ex Regula sibi competit, præfici: cui omnes & singuli prædicti Fratres in omnibus, quæ non sunt contra Deum, animam suam, & Regulam, firmiter teneantur obedire. Testantur *Corduba in exposit. ipsius Regulæ. cap. 8. q. 1. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 7. art. 1. & q. 10. art. 1. Illustrissimus Samaniego in sua compilat. Statut. c. 8. §. 2. pag. 239. & 240.*

2 Ad instar Summi Præsulis in Ecclesia Vniversali. *Sanct. de Melf. in Commentar. moral. super Statut. & Constit. cap. 1. Stat. 6. §. 1. & cap. 8. Stat. 27.* ibi: *Generalē habere in Religione tota tantam authoritatem, quantam Summus Pontifex in tota Ecclesia. Gubernat. in Orb. Seraphico, tom. 1. lib. 3. cap. 9. num. 1. & 2.*

3 Hunc eundem Primatum Monarchicum dilucidè asserunt Reverendissimo Ministro Generali quam plura alia testimonia, quæ in actis leguntur, & in Mem. nuper excusso singilatim recensentur ex num. 52. *Leo X.* in diplomate indicato de anno 1517. præscribens formam electionibus Commissarij Familiæ, hæc ad calcem verba subiungit: *Ita tamen quod Commissarius præfato Ministro Generali omnimodo subijciatur, vt cæteri prædicti Ordinis Prælati subijciuntur, ac illi per omnia obedire teneatur secundum Regulam.* Mem. n. 60.

4 *Vrbanus VIII.* in Epistola in forma Brevis scripta sub die 16. Augusti anni 1631. ad Fratrem Bernardinum de Sena, Ex-Ministro Generali in Visscei Antistitem electum, monet, vt iam excubias magni Sacerdotis acturus, in sui locum virum idoneum sufficiat: quem *supremum Magistratum, & Summum Seraphicæ Familiæ Moderatorem appellat.* Mem. num. 65.

5 In Statutis Vallisoletanæ Cõgregationis de anno 1593. pro Familia Vltramontana stabilitis, hæc aptissima leguntur verba: *Generalis Ministri ordinaria potestas in Ordine summa est, à qua nemo eximitur: cui omnes, vti Sanctissimi Patris nostri Francisci vero ac legitimo successori, ex Regulæ*

præs-

præscripto firmiter obedire tenentur. Mem.num.62.

Testamentum S.Francisci.

6 Ipse etiam Sanctissimus Patriarcha in suo Testamento, quod sinus æthereos penetraturus ordinavit, hanc Divinam professionis & recognitionis hæreditatem suis alumnis, velut præcipuum & legitimum patrimonium reliquit: *Et firmiter volo obedire Generali Ministro, & alteri Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare: & ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire, vel facere contra obedientiam & voluntatem suam, quia Dominus meus est.* Mem.num.55.

7 Dicunt, hanc postremam Seraphici Patris voluntatem non esse stimandam; quod *Nicolaus III.* ab eius observatione Fratres absolverit. Mem. n.57. sed minùs rectè. Quia responsum Pontificium duntaxat refertur ad illam clausulam: *Et omnibus Fratribus meis Clericis & laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant glossas in Regula, nec in istis verbis, dicendo, ita volunt intelligi: sed sicut dedit mihi Dominus, purè & simpliciter dicere, & scribere Regulam, & ista verba, ita simpliciter, & sine glossa intelligatis, & cum sancta operatione vsque in finem observetis.* Iustissimè quidem: nam interpratatio, saltim declarativa adeo ipsis legibus consubstãtialis & coæva est, vt eam Princeps, seu Conditor interdicere non possit, *l.2.D.de orig.iur. vbi Bald.& Gotifred. Excellentissimus Crespi observat.1.ex num.20.&* 67. Patet igitur, Põtificiam declarationem huic vni articulo datam, cæteras tabularum partes non afficere, *l.si à te.9. D.de except.rei iudicat. Roland. cons.79.n.10.lib.1. Excellentissimus Crespi observat.* 88.*n.*2. Nec propterea timendum est, ob id Beatum testatorem partim testatum, & partim intestatum decesisse.

8 Immo potius verendum, ex hæredes futuros illius benedictionis, quam Sanctissimus Patriarcha suis impartitur alumnis, quotquot legibus ab eo datis mentis obsequium non præstant; & iudicium Beatissimi testatoris erga obedientiam sui hæredis vniversalis, quam summopere commendavit, vel impugnant, vel non agnoscunt, *l.Papinianus* 8.§.*Meminisse, l.si pars* 10.§.*fin.D.de inofficios.testam.l.post legatum.5.D. de*

de his, quæ vt indign. l. edicto 13. §. Eos. D. de iure fisc. Valent. illustr. lib. 3. tract. 5. cap. 3. num. 9. Mito quam plurima, quæ sub metaphora testamenti non infacete contexere possem, ne fortè invidiam succendant.

9 Probat egregie idem assumptum *Sanctus Bonaventura* synchronos, aut certè vicinus temporibus Seraphici Patris, *in exposit. regul. tract. 3. cap. 8.* vbi hæc habet: *In his autem verbis tangit eius authoritatem in nomine generalitatis. Tangit etiam humilitatem, cum dicitur, vt sit servus totius Fraternitatis; vt scilicet, qui dum subditus erat, obediebat vni, aut duobus, sciat se electum in Generalem Ministrum debere omnium necessitatibus obedire. Tangendo autem eius authoritatem, & humilitatem, notat etiam vnitatem, dicens, vnum de Fratribus: quia sine sano capite nulla respublica stare bene potest. Vndè vnum Apostolum Dominus præfecit cæteris. Item Ecccehiel. 34. suscitabo super eos Pastorem vnum, qui pascat eos, servum meum David. Matthæi 12. Omne Regum contra se divisum desolabitur.*

10 Ad hunc primatum pertinere, contributumque esse Reverendissimum Indiarum Commissarium haud dubitant scriptores Franciscani, quibus vti expertis, & de Observantia, menteque totius Ordinis Seraphici apprime instructis, credendum est, *arg. text. in c. videtur, qui matrim. accusar. poss. c. insuper. 6. de testibus.* Sic testantur Pat. Miranda *in Manual. tom. 2. q. 14. art. 1. vers. Prima conclusio.* Vbi asserit: *Certissimum atque constitutissimum est, & omni dubio procul, quod supradictus Commissarius Indiarum est immediatus Generali Ministro in omnibus, & per omnia. Hæc conclusio habetur expressa in supradictis Constitutionibus Generalibus loco supra citato. Circa quam Constitutionem statim exorta fuit difficultas, & magnalis, & controversia, an Commissarius Generalis supradictus esset subditus Commissario Generali Cismontano? De qua difficultate iam nos diximus supra q. 11. art. 5. agendo de potestate prædicti Commissarij Generalis, vbi apposuimus conclusionem negativam, dicentes: solum modo esse subiectum immediatè Generali Ministro, tam quoad suam*

ſuam perſonam, quam quoad perſonas, ſociorum ſuorum, & omnium Fratrum ad Indias pertinentium, ac denique quo ad omnia ſpectantia ad ſuum munus, & officium. Et hoc eſt certiſsimum, atque in communi praxi obſervatum; de quo nulli eſt dubium.

11 Neſcio, ac verè non calleo, quo tendat illud præiudicium, quod huic doctiſsimo impingitur interpræti: ſcripſiſſe ſcilicet poſt trigeſsimum annum ab edita Conſtitutione *Sixti V*. Mem. num. 69. cum in hoc nullum vitium ſerpere poſſit; emerſurum faciliter, ſi ante legem perſpectam iudicium ſuum interpoſuiſſet.

12 Adſtipulantur *Rodriguez, tom. 1. q. regul. 52. art. 2. in princip.* & ſatis luculenter *Gubernat. in Orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. §. 2. ex num. 3. vbi num. 12.* hæc aptiſsima verba ſubiungit: *Certè non video, quomodo ſuſtineri poſsit eminens illud in regula Seraphica præceptum, quod omnes Fratres teneantur obedire Generali Miniſtro totius Ordinis, vel quomodo Fratres, Conventus, & Provinciæ Indiarum de corpore Religionis ipſius eſſe dicantur, ſi ſupremo illius capite excluſo, Commiſſarium ſolum in Curia Catholica reſidentem in ſuperiorem ſuum agnoſcant?* Mem. num. 71.

13 Notant hunc eruditiſsimum interpræetem, & ſuſpectum dicere non verentur, hoc ſolo quod pro Miniſtro Generali ſententiam dixerit. Peregrinus exauthorandi modus. Conſulentibus hic næuus ſolet impingi, quod prope ſint, & iuris principia flectant propter affectionem clientum. Aſt Doctoribus, qui tractatus ſcripſerunt, quid tale huc vſque neque obiectum, neque criminatum fuit. Iſtorum enim dicta non ex perſona, ſed ex ratione metiuntur.

14 Quod ſatis vivide iactatur, hanc ſummam Miniſtri Generalis authoritatē poſſe reſtringi, & modificari à Capitulo Generali. Ex his quæ adducit *Orb. Seraphic. tom. 1. fol. 87.* cum alijs in mem. *ex num. 74. vſque ad num.* 81. non probat ambitam Commiſſarij Indici immunitatem: Quia nullam exhibet ſimilem Conſtitutionem, per quam prætenſa ſtabiliatur exemptio. Interim tamen, quod eam non oſtenderit, ex-

cep-

ceptionem non probaverit, sub regula esse haud negare potest, *l. illud.* 20. *C. de collat. Barbos. Axiomat.* 85. *num.* 8. aptissimè *Suarez de Religione, tom.* 4. *lib.* 2. *cap.* 2. *sub num.* 26.

15 Quin & illa Capituli Generalis authoritas, quam vti summam veneramur, non adeo est sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut regulam, Dec. in c. ad nostram, num. 19. de appellat. pluribus Sanchez, tom. 2. sum. lib. 6. cap. 2. num. 18. Bordon. resol. 58. num. 2. & tom. 5. de Relig. cap. 1. ex num. 171. Quam certè Ecumenicus Seraphici Ordinis Conventus violaret, si Ministro Generali, vel tantillum potestatis coævæ, ab ipsoque Authore Patriarcha Francisco communicatæ adimeret, aut interpungeret. Docet ab specie Sanct. Bonavent. in exposit. reg. cap. 12. fol. 44. ibi: *Cum dicitur prim. cap. alij Fratres teneantur Fratri Francisco, & eius successoribus obedire, patet, quod in hoc non potest ordo in aliquo dispensare; sicut etiam cap.* 8. *dicitur, vniversi Fratres vnum de Fratribus, &c.*

16 Præsior Constitutio, quam ad hanc exceptionem probandam expendit Commissarius Indicus, est illa, quæ legitur in Capitulo Generali de anno 1593. Mem. num. 81. & 82. Vbi cavetur appellationes fore gradatim interponendas: de Guardiano in Provincialem: de Provinciali in Commissarium Generalem: de Commissario Generali in Ministrum Generalem: de Ministro Generali in Cardinalem Protectorem: Et demum de Protectore in Pontificem Summum. Et inversores huius Ordinis male mulctantur.

17 Verum hoc non probat assumptum, nec adimit Reverendissimo Ministro Generali facultatem suo muneri coævam concurrendi cum Commissario Indico, & omnibus alijs Prælatis inferioribus ratione supremæ, & iherarchicæ authoritatis: quia tam iure civili, quam Canonico illa gradualis provocandi necessitas stabilitur, *l. Imperatores* 12. *D. de appellat. l. addictos* 29. *C. eodem, cap. dilecti filij* 66. vbi affatim *D. Gonçalez Tello, ex num.* 4. *sub eadem rubrica* (aliud iure patrio observatur, *l.* 18. *tit.* 22. *p.* 3. *l.* 1. *tit.* 1. *l.* 14. *tit.* 18. *lib.* 4.

Re-

Recop.) Et tamen liberum est summo Ecclesiæ Præsuli, cognitiones in prima instantia prævenire, cum omnibus inferioribus concurrere, & seorsim ab illis cuncta moderari, *Trident. sess. 24. de reformat. cap.*20. ergo idem per analogiam dicendum est de Reverendissimo Seraphicæ Religionis Præfecto.

18 Aptiori paradigmate consequtio probatur. Patriarchæ adiri possunt, & debent à suis Metropolitanis per viam appellationis, *c. antiqua* 23.*de privileg.* Et tamen non interdicuntur, vti in ipsos iurisdictione ordinaria ratione Primatus, vt notant *Canonistæ in c. cum ex officio.* 16. *de præscript.* Et observat. *Augustin. Barbos. lib.* 1. *de Univers. iur. Ecclesiastic. c.* 6. *num.* 36. & 37. Vbi dat alios: ergo.

19 Aliter in Metropolitanis. Quia in attributione iurisdictionis eis facta, illud explorate cautum fuit, ne vllam in suffraganeos exercerent, nisi legitimè per viam appellationis adirentur, & aliàs speciatim eisdem concessa fuisset, *c. Pastoralis.* 11. *de offic. Ordinar. c. Romana.* 5. *c. Venerabilibus.* 7. *de sent. excommunicat. in* 6. *Barbos. de Univers. iur. Eccles. lib.* 1. *c.* 7. *ex num.* 51. Quo satis significatur, facultatem ius dicendi per appellationem suapte natura non excludere primarias cognitiones, cum necessum sit eas nominatim, excipere in reservatione, & attributione illius superioritatis, & excellentiæ.

20 Cum igitur huiusmodi restrictio non legatur in creatione Ministri Generalis Seraphici Ordinis, & aliàs eiusdem potestas infra Pontificem Maximum summa, atque Monarchica sit, inconsequenter dicitur, non posse concurrere in primarijs cognitionibus, & regimine Ordinario cum Prælatis inferioribus, eo subalternis, hoc solo, quod erga ipsos habeat facultatem ius dicendi per appellationem.

21 Observat Illustrissimus *Samaniego in compilat. Statut. c.* 8. §. 2. *pag.* 240. Mem. num. 73. ibi: *Minister Generalis habet ordinariam authoritatem, in Ordine summam, à qua nullus eximitur; cui omnes, vti Sancti Francisci successori vero, ac legitimo, firmiter obedire tenentur. Quæ authoritas cum sit summa, quæ in vna persona intra Ordinem haberi*

  beri

beri potest, ad omnia se extendit; nisi vbi à sacris Canonibus, Concilijs, Constitutionibus Apostolicis, & Capitulis Generalibus limitata reperitur. Quis non assurgat viro eximio, Seraphicæ Religionis alumno, qui apud eam Sancte, pièque educatus, & sacrarum literarum cognitione mirifice imbutus, mores Franciscanos, Sanctamque Regulam apprime calluit, opere complevit, & locupleti scriptione illustravit?

22 Vexant eamdem obiectionem ab Statutis Barchinonensibus, apud Toletum ex punctis sub anno 1583. *Authore Rebolledo, fol.* 164. Mem. num. 86. & 87. Vbi Prælati superiores monentur, ne munera inferiorum vsurpent, aut eis quoquomodo impedimento sint, quominus illa libere exerceant: quin immo in eis gerendis opem, & auxilium præstent. Quod sane altioribus nititur fulcris: nam, & Sacri Canones, rectaque gubernandi ratio illum Ordinem suadent, vt singula quæque teneant locum sortita decenter, & confusio, charitatis inimica, ab Ecclesiastico regimine exulet, *c. pervenit.* 39. *caus.* 11. *q.* 1. plura per *D. Salced. de Lege Politica. lib.* 1. *c.* 11.

23 Respondetur, Statutum Barchinonense monitionem, non præceptum inducere. Quippe certum est, & animo Reverendissimi Ministri Generalis alte insitum, non omnia quæ ei ex potestate summa licent, semper honesta esse: præsertim in hac munerum volutatione, quam, nisi magna cautela adhibeatur, in exitialem Religionis perniciem ituram esse non diffitetur. Asserit tamen, & bene asserit, ius illi esse ex causa, & quandocumque opportunum existimaverit, primarias prævenire cognitiones, & se, vt Patrem ostendat, in regimine Ordinario Vniversi Ordinis Seraphici interponere. Quod nullus interprætum ex Franciscano musseo illi negat. *Rodriguez tom.* 1. *q. regul.* 51. *art.* 4. *Bordonius. resolut.* 66. & 76.

24 Et hanc fuisse mentem Statuti Barchinonensis patet ex eo, quod in ipsa Congregatione Toletana de anno 1583. in qua vel castigatum, vel confirmatum fuit; Reverendissimo Ministro Generali asseritur potestas, & plenaria iurisdictio in Commissarium Indicum eis prægnantissimis verbis: *Qui nimi-*

mirum Commissarius Indiarum immediatè subiectus sit Generali Ministro in omnibus, & per omnia: Scopus ergo fuit in superiori Constitutione non arctare, & cogere; sed dirigere, & monere supremum Ordinis Antistitem, vt in regendis Fratribus, & iherarchico prælationum Ordine fovendo, licet legibus communibus solutum, eis tamen victurum cognoscat. Concinit *Suarez. de Relig. tom. 4. lib. 2. cap. 2. n. 22. & 24.*

25 Quod vtique apertius confirmatur ex eisdem Statutis, iterum ex punctis sub anno 1621. Mem. num. 91. Vbi asseritur facultas Commissario Generali Familiæ libere exercendi suum munus præsente Ministro Generali: nisi iste aliqua sibi negotia reservaverit, præcipuaque illius esse voluerit. Qua sanctione manifestè convincitur, eam Ordinis præscriptionem, quæ legitur im prima rogatione Statutorum sub anno 1583. non tam coactivè, quàm directivè dictam fuisse supræmo Religionis Præposito.

26 Ex dictis manifestè deducitur, fas esse Reverendissimo Ministro Generali concurrere in regimine Ordinario cum Commissario Indico, & cæteris Prælatis inferioribus totius Religionis Seraphicæ: quemadmodum concurrit Pontifex Maximus cum Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Ecclesiastici Orbis Rectoribus, *c. Cuncta per mundum. 17. caus. 9. q. 3. Gloss. celebris in c. 2. de Prabend. lib. 6.* Tum ratione obedientiæ; quæ hanc absolutam importat subiectionem. Docent *Suarez. de Relig. tom. 4. lib. 2. c. 2. n. 15. & 16. Raggi. de Regimin. Regular. centur. 2. tract. 2. dub. 109. n. 2. & tract. 3. dub. 116. n. 3. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 1. disputat. 3. q. 3. n. 3. D. Lorenço Matthau. de Regim. Regni Valentia. c. 7. §. 4. n. 91.*

27 Ididem fluit, posse omnes Prælatos inferiores, cuiuscumque gradus sint, Ordine movere, præsertim ex causa; & ipsis in excercendis muneribus modum præscribere, *Suarez. de Relig. tom. 4. lib. 2. c. 2. n. 22. 25. & 26. Rodriguez. tom. 2. q. Regular. 51. art. 4. Rota. apud Tamburin. de iure Abbat. tom. 3. decis. 81. num. 6. Gubernat. in Orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. cap. 9. §. 1. n. 4. & 5.*

Re-

28 Revocare ad se cognitionem causarum, exemplo Summi Pontificis, *c. vt nostrum. 56. de appellat.* Docent *Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. c. 2. n. 22. Raggi de Regimin. Regular. centur. 2. tract. 3. dub. 116. n. 3.* non rafragante sanctione *Concilij Tridentini sess. 24. de reformat. c. 20.* quia non procedit in Regularibus ratione voti obedientiæ, *Sanchez lib. 6. cons. moral. c. 9. dub. 5. n. 12. Barbos. de offic. Episcop. p. 3. allegat. 81. num. 13. & in collect. ad Concil. in dict. c. 20. n. 9. Raggi vbi proximè.*

29 Nescio qua fronte retundant authoritates *Thomæ Sanchez, & Augustini Barbosæ* in locis proximè indicatis, quasi præiactæ assertioni non anuerint: cum expresim ipse *Augustinus in collect. ad Concil. dict. c. 20. num. 9.* dicat: *Neque quoad primam instantiam ipsorum aliquid novi inducere.* Idemque sit, conservatores non tollere, ac de primis instantijs non curare, *Concil. Trid. sess. 14. de reformat. c. 5.* Nimis incuriosse versat iura Canonica, qui hæc principia non callet.

30 Aptius potuisset obijci sententia *Ioannis ChoKier. de iurisdict. in exempt. tom. 2. p. 1. §. 13. n. 5.* quæ sane exotica est, & vt talem laudat *Augustin. Barbos. in dict. allegat. 81. sub num. 13.* sic ait: *Itaque licet exempti immediatè subiecti sint Summo Pontifici, c. authoritate. de privileg. in 6. Choppinus. de Sacra Politia. lib. 2. tit. 4. n. 6. fol. 231. ac legato eius à latere, c. si Abbatem. de elect. in 6. glosse mataries. in prac. Sanct. tit. de caus. verb. subiecto: non tamen poterunt in prima instantia evocari ad Romanam Curiam, & ita pactis inter Roman. Pontificem, Reges Franciæ, Hispaniæ, Belgique Principes, testatum reliquit Choppinus. dict. tit. 4. num. 8. fol. 233. Proinde si contingat eos evocari, habebunt ius revocandi domum ad Patres Provinciales, sive Iudices, quos ex privilegio sortiuntur. Quippe quod Ecclesiasticæ causæ alibi, quam in patrijs litigatorum finibus à Pontificibus ratione Privilegiorum commiti non soleant, vti Guichardinus in sua historia refert. Si autem quippiam contra hanc libertatem fiat, licebit eis, quorum intererit, querula libello supplicare Pontifici: immo etiam*

offi-

officium conservatoris privilegiorum implorare. Duo requirit *Author*. Vnum quod de prima instantia fœdus intervenerit. Alterum vt summus Ecclesiæ Præsul, aut saltim conservatores adeantur. De primò in præsentiarum non constat, in lite est. De secundò sapientissimorum moderatorum iudicium esto, si fortè persuaderi possit, hanc authoritatem, quæ loquitur de evocatione ad Romanam Curiam, huic hypothesi aptabilem esse.

31 Non etiam obstat sepius inclamata plurium capitum monstruositas, *ad tex. in c. quoniam in plerisque*. 14. *de offic. Ordinar*. (Videant cordati, quis ex litigatoribus hoc telum iustius, & aptius iacere possit.) Quia authoritas Ministri Generalis est summa, & iherarchica, adhuncque Ordinem refertur, & subordinatur iurisdictio Prælatorũ inferiorum, quo cum respectu submovetur, & exulat illud malum, quod toties effutiunt, *Suarez de Relig. tom*. 4. *lib*. 2. *c*. 2. *n*. 17. *&* 18. *Rodriguez, tom*. 1. *q. Regular*. 17. *art*. 7. *Card. de Luca de iurisd. discurs*. 1. *num*. 28. Exemplo Vicarij Episcopi, qui licèt cum ipso idem Tribunal Constituat, *c. Romana de appellat. in* 6. non tamen diversus, & æqualis est Iudex, quia subordinatio bicipatum arcet, & exterminat, *Barbos. de offic. Episcop. allegat*. 54. *num*. 39.

RESOLVTIO QVÆSTIONIS.

32 His prælibatis respondeo, Reverendissimum Ministrum Generalem post creatum, & electum Commissarium Indicum, eandem cum illo, & maiorem penes se retinere potestatem, & iurisdictionem, ad moderandas, & regendas vniversas Provincias eidem Commissario decretas. Hæc assertio duplici medio, & quidem à podictico, probatur.

33 Primum ex ratione iuris communis, quo cavetur, Prælatum alteri vices suas plenarie mandantem, penes se eamdem, & maiorem retinere potestatem, quia per illam Magistratus creationem Prælaturam non exuit, *tex. decretorius in c. dudum*. 14. *de præb. lib*. 6. ibi: *Quod & si memorato Epis-*

copo

copo prædictam concessimus potestatem, penes nos tamen remansit maior. Vbi *Gloss. verb. eadem. Augustin. Barbos. in collect. n. 5. & vot. 33. n. 39. & 40. Tondut. de prævent. p. 2. c. 45. n. 18. vers. Hæc paucis.*

34 Id ipsum asseritur de Principe Supremo, Proregem (alter nos) constituente, & iurisdictionem Baronibus absolutam cum mero, & mixto imperio, & alijs prægnantissimis clausulis concedente: nam per huiusmodi concessiones non censetur (neque potest, secundum plausibiliorem sententiam) à se abdicare eamdem, quam communicat potestatem, multòque minus alteram excelsissimam diademati coævam, qua Populos in maioribus regit, & oppressos sublevat, *D. Covarr. pract. c. 4. in princip. D. Larrea, allegat. 110. n. 26. D. Solorzan. de Iure Indiar. tom. 2. lib. 4. c. 10. n. 12. Don Lorenç. Matthæu. de Regim. Regn. Valent. c. 5. §. 3. n. 6. & c. 2. §. 1. n. 15.* latissimè, *Autunez de Portugal. de donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 8. ex n. 12.* Ratione satis congrua: ne videatur parem sibi asciscere, imperium dividere, *Maschard. de probat. conc. 1050. n. 11. Gabriel Pereyr. de man. reg. p. 1. c. 37. n. 25.*

35 Et in Episcopo, Viccarium constituente, qui licèt à Canone iurisdictionem accipiat, *c. 2. de offic. Viccar. in 6.* non tamen exuitur Episcopus iurisdictione sibi connata, qua concurrit cum ipso, & maior est illo, *Sbroz. de offic. Viccar. lib. 1. q. 51. n. 4. & lib. 2. q. 57. n. 10. & q. 177. n. 2. Barbos. de offic. Episcop. p. 3. allegat. 54. n. 39. Narbon. de appellat. p. 1. n. 92. & 93. Episcop. Fermosin. in c. sua nobis. q. 5. n. 47. 48. 52. & 53. de Offic. Viccar.* Vndè inter illos non datur præventio, neque præoccupatio Viccarium reddit potiorem ad ius dicendum, *Rot. decis. 297. p. 2. recent. Posth. de manut. observat. 52. n. 23. Tondutus de prævent. p. 2. c. 1. n. 21.*

36 Nunquam enim superior mandat, vel concedit iurisdictionem exclusivè ad se, *Bald. in l. qui se patris. n. 10. C. vndè liberi. & cons. 326. lib. 1. Pet. Barbos. in l. 1. art. 4. n. 109. D. de iudic. Autunez de donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 8. n. 14.* Sed participativè cum ipso, vel cum alio (quod magis est) qui illa lætabatur, *l. 1. C. de offic. Præfect. Vrb. l. fin. C. de iuris-*

risdict. omn. iudic. Pet. Barbos. vbi proximè, n. 76. Carleval. de iudic. lib. 1. tit. 1. disput. 2. n. 1205. licet concessio concipiatur cum clausula *solus iudicet.* Idem *Petrus, n. 102. Tor. dut. de pravent. p. 2. c. 45. n. 9.*

37 Secunda probatio assertionis desumitur ab institutione Commissariatus. Illud enim munus, suggerente Regum prudentissimo Philippo II, primus erexit Minister Generalis Fr. Chistophorus de Capite Fontium de anno 1572. Et ex eo tempore sub hac formula litteræ expediuntur: *Prædecessorum nostrorum vestigijs, & memoratis Toletanis Statutis inhærentes, dignum, quin & debitum censuimus, virum aliquem, nostrum subditum assumere, & Generalem omnium Indiarum, & totius novi Orbis Commissarium instituere, qui iuxta Catholici præfati Regis piam, ac Religiosam voluntatem in omnibus, quæ ad tuendam, & conservandam, ac propagandam in dictis partibus Religionem posse prodesse viderit, nostro nomine, & authoritate agat, mandet, disponat, & exequatur.*

38 Et infra: *In quibus omnibus plenariè vicces nostras tibi duximus commendandas, &c. Declaramus insuper, te, & socios tuos nobis solummodo, & nostræ visitationi, & correctioni, & nullius alterius ex nostro Ordine superioris regulariter, & in quocumque casu, & eventu subditos esse, & subiectos.* Describit *Gubernat. in Orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. c. 9. §. 2. n. 12.*

39 Formula, qua vsus fuit huius inventor muneris Minister de Capite Fontium, & quæ transcriptæ respondet, huiusmodi est: *Opere pretium fore duximus, Generalem aliquem, substitutum nostrum, seu Commissarium totius illius novi Orbis instituere.* Et infra: *Super prædictas omnium Indiarum Provincias officij nostri vicces omnes committimus. Insuper omnes officij nostri vicces, omnimodamque potestatem in vtroque foro super omnes, & singulas dictarum Provinciarum personas, quavis etiam dignitate, & officio præditas, tibi damus, atque committimus.* Refert *Gubernat. tom. 1. lib. 3. cap. 17. num. 2.*

40 Hæc velut hominis institutio translata fuit in legem in-

in Congregatione Toletana sub anno 1583. c. 1. in hæc verba: *Pro Fratribus Indiarum vnus Commissarius Generalis instituatur à Reverendissimo Patre Generali, ex assensu, & beneplacito Regis Catholici præfigendus, qui & in ipsius Curia resideat.* Et infra: *Qui nimirum Commissarius Indiarum immediatè subditus sit Generali Ministro in omnibus, & per omnia, & nulli alteri Prælato, & superiori erit subditus.*

41 Insuper hoc Statutum cum præfata subiectionis declaratione confirmatum fuit in Congregatione Segoviensi, & ab *Vrbano VIII.* in Bulla, quæ incipit: *iniuncti nobis.* Sub die 18. Decemb. anni 1625. & rursus in Congregatione Generali Toletana de anno 1645. quas omnes refert *Gubernat. lib. 3. c. 9. §. 2. n. 11. tom. 1.*

42 Tum sic. Nullus est aptior modus discernendi munera, quàm eorum institutio, & primordialis erectio, *l. vt responsus 15. C. de transact. l. 1. C. de imponend. lucrativ. descript. lib. 10. c. porro. 7. de privileg. D. Valenzuel. cons. 33. n. 116. Autunez de donation. Reg. lib. 1. prælud. 2. §. 3. n. 14.* Ea enim vti lex adiecta fundationi, & causa illius efficiens, seu originalis totam regit dispositionem, *l. qui id quod 33. D. de donat. l. damni. 18. §. Sabini. D. de damno infecto. l. tutor datus. 69. D. de fideiussorib. Autunez vbi proximè.* Perstrictimque servanda est, nec alicuius potestatis manu convellenda, *c. Venerabilem. 34. de elect. Petrus Greg. de Republic. lib. 7. c. 10. n. 1. & c. 16. n. 8. D. Salzedo in Examine veritat. §. 9. fol. 145.*

43 Sed prælibata documenta subiectionem Commissarij Indici erga Reverendissimum Ministrum Generalem disserte stabiliunt: ergo eam absolute non agnoscere Commissarius iniustè recusat. Quis enim non assurgat Prælato, à quo suam accipit, & derivat iurisdictionem, *c. super quæstionum. 27. de offic. delegat?*

44 Graviter offendit Reverendissimus Indiarum Commissarius, quod iurisdictio ei ad tributa nomine delegatæ insigniatur: cum certè nomen hoc Minister Generalis non indiderit, sed legerit in diplomatè *Vrbani VIII.* de die 17. Iulij anni

anni 1643. ibi: *Ac demum Commissario Generali in eiusdem Regis Catholici Curia existenti, tamquam à dicti Ordinis Ministro Generali per litteras patentes expressas pro Indis delegato.*

45 Verumtamen non ita hæret huic denominationi, vt non patienter ferat, Commissarium, Ordinarium Præfectum vocitari. Vel propter Vniversitatem causarum, quæ ei mandatæ sunt, *ex Gloss. in l. à iudice. verb. non habet. C. de iudic. Carleval. in hoc tit. lib. 1. tit. 1. disputat. 4. n. 32. Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 31. ex n. 1.* Vel quod iurisdictio eidem competens, à lege data censeatur, *l. more. 5. l. & quia. 6. D. de iurisdict. omn. iudic. l. cum Prator. 12. §. 1. & 2. D. de iudic. Petrus Barbosa in l. 1. art. 1. n. 221. D. eod. tit. Parexa. de instrument. edit. tit. 2. q. 6. n. 138. Cortiada decis. 8. num. 50.*

46 Vtcumque tamen sit, ille superior respectus in causa est, vt suo Dynastæ, à quo, vel per quem accipit iurisdictionem, potestatis quæstionem refricare non possit, ex regula *tex. in l. 1. §. Fin. D. vti possid. l. si quis conductionis. 25. C. de locat. & conduct.* Quam ad hanc speciem, & similes derivant interpretes *tum Felin. in c. inter dilectus. n. 20. de fid. instrum. Bald. in l. 1. §. à Præfectis. D. de legat. 3. Cardinal. in Clement. 1. opposit. 6. de offic. Viccar. Seraphin. decis. 948. n. 2. Mantic. decis. 235. n. 4. Cancer. p. 1. variar. c. 14. num. 89. Paul. Rubeus. p. 4. tom. 2. decis. 420. n. 50.* optimè *Tondut. de prævent. p. 2. c. 1. n. 34. ad finem.* Quin immo omnis illa authoritas, qua ex munere sibi iniuncto Commissarius lætatur, præsente Reverendissimo Ministro Generali, qui totius Seraphicæ Religionis clauum tenet, summo iure conquiescere deberet, *c. volentes. 8. de offic. legat. c. antiqua. 23. de privil. l. fin. D. de offic. Proconsul.*

47 Hoc ipsum quod recantant instrumenta erectionis, observantia diutina docuit: nam ab ipsa Commissariatus creatione, Reverendissimi Ministri Generales in Americis Provincijs quæcumque oportuit, vel libuit, moderati sunt; vt legitur in exemplaribus per Secretarium Generalem ex Archivo de-

deductis. Iam ergo constat, observantiam esse fidelissimam legum, Constitutionum, Privilegiorum, & quaruncumque dispositionum interpratem, *l. 27. D. de legib. c. cum dilectus. 8. vbi plenissimè Barbos. de Const. Autunez de donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 10. num. 49.*

48 Exhaurit vires Reverendissimus Indiarum Commissarius, vt contrariam observantiam probet. Sed num illud ex æquo præstiterit, sapientissimi Consultores stimabunt. Etenim vastissima Provincia est, in qua peragranda, diem me perditurum suspicor. Duo tamen notare non omitam. Primum, quod præcipua documenta, quæ ad hanc rem advocantur, sumpta sunt ex Archivo Commissariatus, quod quanquam publicum esse existimetur ex concursu conditionum, quas enumerat *Parexa tit. 1. resolut. 3. §. 3. ex n. 28.* non propterea suspicionis nota liberatur; hoc ipso quod semper pateat, prostetque Reverendissimo Commissario, instrumenta ab illo sumpta eius vtilitatem redoleant, & ab initio nascentis iurisdictionis Magistratus huiusmodi, Ministris Generalibus invidere non destiterit: quo sane consilio quidquid in prædicto Archivo reperitur, ad hanc contentionem spectans, manum sapit, *Puteus decis. 186. num. 2. Gratian. disceptat. 736. n. 48. Parex. vbi proximè, n. 30. 31. 32. 33. 34. & 35.*

49 Secundum, quod probationibus præstitis à Ministro Generali favet regula, *tex. in c. in nostra. 32. de testib.* sunt equidem, & verisimiliores, & nummero plures. Tum quia observantia, quæ pro eo viget, iuri scripto, & Statutis Seraphicis magis consonat, vndè, & prævalere debet, *c. licèt causam. 9. de probat.* & in specie, *Card. Tuschus tom. 5. lit. O. conc. 59. & 95.* Præterquam quod actus exerciti à Generali Indiarum Commissario, exceptis infra referendis in 2. 3. & 4. artic. intra Cancellos iurisdictionis eidem participatæ continentur; quapropter observantia contraria, neque præscriptionem inducere potest, cum in hac hypothesi suo iure, non alieno egisse dicatur; bellissime *Card. de Luca sub tit. de Regularib. discurs. 7. n. 6.*

SOL-

SOLVVNTVR ARGVMENTA.

50 Plura objiciuntur, quæ fortasis librum iustum compilarent, nisi ea compendio perstringerem. Primum est, assertionem deductam ex *c. dudum. de præbend. lib. 6.* duntaxat procedere in Pontifice Maximo, & Principibus Supremis, non in alijs inferioribus, quantumvis summa polleant authoritate: atque ideo non esse aptandam Reverendisimo Ministro Generali, qui illam cathegoriam simpliciter non attingit. Probant assumptum ex modo loquendi, quem in hac re scriptores observant. *Petrus Barbos. in l. 1. art. 4. n. 109. D. de iudic.* Sic fatur: *Illud certum est, quod licet Princeps concesserit aliquibus iurisdictionem privativè, tamen cum illis ipse Princeps concurrere potest: quia semper maiorem potestatem videtur apud se retinuisse.* Eadem structura verborum vtuntur plerique *DD. apud Menoch. lib. 1. de arbitrar. q. 40. n. 1. & 2. & lib. 2. præsumpt. 18. n. 2. 3. & 4. Tondut. de prævent. p. 2. c. 45. sub n. 18.*

Primum Argumentum.

51 Verum hæc obiectio voluntariè refricatur. Quia nullus est interpres (quem ego viderim) qui eam assertionem ad solos supremos Principes referat, taxetque. Omnes enim vel explorate volunt, aut certè sentiunt, in quoscumque Magistratus Ordinarios fore derivandam: quia in illis eadem militat ratio: quod in sermone generali non comprehenditur persona loquentis, *l. inquisitio. 18. C. de solut.* Et omnino inverosimile sit, quempiam per dationem aut Constitutionem Iudicis, à se insitam abdicare potestatem. Et ideo doctisimus *Menoch. dict. præsumpt. 18. n. 4.* ita se expedivit: *Et hoc maximè procedit in persona Principis.* Qua dictione satis significavit, regulam *tex. in dict. c. dudum.* capere reliquos Iudices Ordinarios, quia articulus *maximè* non minuit, sed auget, & casum magis dubitabilem includit, *Barbos. dict. 197. num. 3.*

52 Et iste quidem fuit sensus, *Gloss. in dict. c. dudum. verb. eadem. de prabend. in 6.* vbi additio *Ioann. Andr.* hæc ha-

habet: *Ordinaria enim delegato commissa, maior est in delegante, & minor in delegato.* Magis disserte *Geminian. in eod. tex. sub n. 5. ibi: Nota ex secunda parte, quod licèt quis tribuat potestatem alteri actum faciendi, per hoc non exuitur à potestate illa, sed penes eum illa, & maior remanet. Quod est verum, quando ad committentem spectat iure Ordinario: secus si iure delegato, vt supra de offic. delegat. quamvis.* Videat perspicatior, si hæc distinctio supræmis potest aptari Principibus, qui non alieno beneficio, sed cum diademate merum, & mixtum sortiuntur imperium.

53 Hoc postremum, quod observat *Geminianus*, valde notandum est, & ob oculos habendum pro perfecta cognitione quarundam assertionum, quæ ex adverso iactantur circa evacuationem iurisdictionis. Illæ enim vere procedunt in iurisdictione delegata, quæ per subdelegationem, in plerisque casibus à delegante eradicatur, *c. super quæstionum. 27. §. Verum. de offic. delegat. c. quamvis. 6. c. si delegatus. 7. c. si à subdelegato. 14. eod. tit. lib. 6.* Quia cum nihil proprium habeat, *l. 1. §. Qui mandatam. D. de eo, cui mandata est iurisdict.* Transferendo in alium quod accepit, & ei concreditum est, ad privati sortem reducitur. Secus in Iudice Ordinario, penes quam eadem, & maior remanet iurisdictio; quia ipsius propria est, & in illo vti in fonte perenni consideratur, qui & si in diversos riuulos disecetur, manandi virtutem non amittit. Qua methafora vtitur *Ioann. And. in addit. ad Gloss. verb. eadem. indict. c. dudum. 14. de præbend. in 6.* Docent *Roman. cons. 242. Tuschus. tom. 4. litt. I. conc. 556. num. 24.*

54 Vndè sequitur, non esse tutam eam sententiam, quam recitat *Lagunez de fructib. p. 1. c. 18. n. 20.* (iste laboriosus Author, sicut & alij huius labentis sæculi, more comædorum tractatus veteres sub novo, & fucato titulo *fructuum* mundo venditat, & repræsentat) scilicèt; non posse Barones causas apud suos iustitiarios pendentes avocare, eo quod per deputationem illorum iurisdictione nudentur. Quia inesse, & prædicamento Ordinariæ iurisdictionis, vel falsa est illa opinio, *Bobadilla. lib. 2. Politic. c. 16. sub n. 100. vers. El primero,* vel

vel amoribus Neapolitanis petenda videtur, cum *Authores*, qui illam astruunt eius nationis sint, & secundum patrias leges fuisse loquutos non ambigatur. Mitto celebrem theoricam circa discrimen, quod versatur inter delegationem, & Iudicis dationem, pro ornatu, & conciliatione, *tex. in l. 1. §. 1. D. qui, & aquib. appelland. cum l. 1. C. qui pro sua iurisdict.* Quam ex suggestu discutiunt *Fachineus l. 1. controv. 78. & D. Gonzalez Tello in c. super quæstionum 27. sub n. 9. de offic. delegat.* Quia fortè impertinens reputabitur.

Secundum Argumentum.

55 Secundum argumentum. Regula iurisdictionis acumulativæ, quam magis plausibiliter stabiliunt *DD. per tex. in l. 1. C. de offic. Præfect. vrb. l. fin. C. de iurisdict. omn. iudic. c. per hoc. 18. de hæreticis. in 6.* multifariam limitatur, præsertim quinque modis, ad quos ego omnes ex adverso propositos recingo.

56 Primus, quando posteriori Magistratui territorium assignatur *novell. 115. de defensorib. civitat. c. 3. Gloss. in Clement. 1. §. Volumus de foro compet. Petrus Barbos. in l. 1. art. 4. n. 122. D. de iudic.*

57 Secundus, quando conceditur in feudum, *Petrus Barbos. in dict. l. 1. art. 4. n. 112. Ferretus*, sic accipiendus, *cons. 142. num. 14.*

58 Tertius, si concessio fiat ex privilegio, quod ita interprætari expediat, vt aliquid significet, *Augustin. Barbos. de offic. Episcop. p. 3. allegat. 124. sub n. 11. vers. Quintò.*

59 Quartus, quandò Magistratus posterior specialis creatur, eo quod Generalis omnia negotia commodè expedire non potest, *arg. tex. in l. 2. §. Cum placuisset. D. de orig. iur. Petrus Barbos. in l. 1. art. 4. n. 123. D. de iudic.*

60 Quintus, quando conceditur iurisdictio Prælatis Regularibus in suos Monachos, & Fratres, *Menoch. lib. 2. præsumpt. 18. num. 22.*

61 Hoc telum quinquies acutum non difficulter conquassatur, ære non multo redimitur. Primo quia expensæ limitationes coniecturales sunt, & ab argumentis, & præsumptionibus petuntur, *Menoch. lib. 2. præsumpt. 18. D. Salgado de*

Supplicat. p. 1. *c.* 14. *num.* 44. quæ absdubio nihil valent in re aperta, & disserte stabilita, *l. ille, aut ille.* 25. §. *Cum in verbis. D. de legat.* 3. Constat litteraliter ex fundatione Commissariatus Indici, Ministrum huic muneri præpositum *in omnibus, & per omnia* esse subiectum Ministro Generali, vt supra ad nauseam probavimus: ergo coniecturæ in contrarium agitatæ, vel inutiles, vel contemptibiles sunt.

62 Secundo, quia nulla illarum procedit, vbi antiquior Magistratus, Superior, Summus, & Monarchicus relinquitur, perseveratque: hoc enim casu iurisdictio alteri concessa, cumulativè cum suo Dynasta tributa censetur; quia aliter excellentia superioritatis salvari, Hyperas potem agere non posset, *tex. in dict. l.* 1. *C. de offic. Præfect. Vrb.* Docet *Bart. in l. tam collatores.* 18. *n.* 4. *C. de remilitar. lib.* 12. Vbi hæc habet: *Nota ex isto tex. Quod si alicui Officiali committitur cognitio alicuius causæ, & potestas cognoscendi tollitur Capitaneo Perusij, per hoc non dicitur derogari iurisdictioni Capitanei. Ratio est, quia civis de causa cognoscens, subditus est ipsi Capitaneo.* Adstipulantur *Felin. in c. Pastoralis. n.* 2. *limitat.* 1. *vers. Considera. de offic. Ordinar. & cum alijs, Tuschus tom.* 4. *litt. I. conc.* 556. *n.* 28. Recolant adversarij, & magis consultè cum *Bart.* perpendant, si vacat paraphrasis, quàm de Primatu Reverendissimi Ministri Generalis dedimus.

63 Ab hac sententia desidere videtur *Petrus Barbos. in l.* 1. *art.* 4. *n.* 130. dum probat, procedere quartam limitationem, etiam si Generalis, & antiquior Magistratus iura superioritatis retineat. Verum doctissimus *Interpras* è vestigio ad se reversus, *sub n.* 132. Ita se expedit: *Quamvis fatear, quod si primus Generalis remaneat superior iudicis specialis, tunc sine dubio posset cognoscere de causis illis specialibus, saltem per viam appellationis, Bart. in l. tam collatores. in fine. C. de remilitar. lib.* 12. In his verbis duo notanda sunt. Primum allegatio *Bart.* quæ contraria, vel prorsus diversa est à sententia Petri, & nostram confirmat. Alterum dictio *saltem*, quæ secundum se non excludit, *Greg. XV. decis.* 434. *n.* 7. & in *Authore* trepidationem denotat.

Huic

64 Huic certe superioritati non satis consulitur per reservationem appellationum, & ius supplendi negligentiam inferioris. (ad quod vnum præsidium adversarij totam aciem instruere videatur) Quia hæc mutila, & limitata facultas destruit in Præposito rationem Monarchæ, & Ordinem Iherarchicum confundit. Is equidem secundum *Dyonisium*, *& Bonaventuram in cap. 9. super exposit. Regul. Sancti Francisci* (quem infra dabimus) consistit in influxu æquali, & pariformi cunctorum graduum, ex quibus conflatur, & constat: ita vt omnes in superiori obedientialiter, & superior in omnibus authoritativè esse, & viuere intelligantur. Præsertim in Religionibus (hæc theorica, vel latuit, vel obvia non fuit *Petro Barbosa*) quas propter status perfectionem, & arctissimum obedientiæ vinculum decet, ita regi, & moderari. Optimè *Eximius Suarez de Relig. tom. 4. lib. 2. c. 2. n.* 16. his congruentissimis verbis.

65 *Ratio verò huius assertionis tota consistit in institutione: congruentia vero institutionis est: tum vt subditorum saluti, & commodis melius, & efficacius per plures provideatur: tum vt ordo, & subordinatio perfectius observetur: nam locales Prælati tàm exacte, & perfectè subditi esse debent Provincialibus, & Provinciales Generali, sicut minimi Religiosi suo Prælato. Hæc autem perfecta subiectio esse non potest, nisi vniversalium Prælatorum iurisdictio ad omnes respectivè immediatè descenderet. Denique hæc iurisdictio Religiosa proportionatur voto obedientiæ, & ad illud complementum, & perfectam executionem quodammodo ordinatur; ideoque sicut votum obedientiæ immediatè obligat ad obediendum omnibus his Prælatis, ita in omnibus illis est iurisdictio immediatè attingens vniversos subditos.*

66 Inde lucem accipit quinta limitatio, quæ iurisdictioni Regularium qualitatem privativæ concedit. Ea siquidem accipienda est respectu Episcopi, qui ex vi Regulæ acumulationis, Religiosos ad suum velit rapere forum: non inter Prælatos eorum, & intra claustra, quia in illis aliter statuendum est, propter rationes *à Suario* expensas. Et hæc proculdubio est,

est, & fuit mens *Panormitani*, *Felini*, & aliorum *interpratum*, quos laudant *Menoch. lib. 2. præsumpt.* 18. *n.* 22. *Augustin. Barbos. dict. allegat.* 124. *num.* 10. Vt perspicue ex eorum lectionem constat.

67 Tertio respondetur, quartam limitationem à faciliori negotiorum expeditione petitam, quam & institutio Commissariatus exprimit, Mem. n. 95. non procedere in Regularibus, propter votum obedientiæ, & alias rationes expensas *à Suario dict. lib. 2. c. 2. num.* 16. Quippe in hac specie sumitur coniectura, quod creatio Magistratus specialis facta fuerit, vt Generalem potius adiuuet, quam invideat, quæ certè potentior est ea præsumptione, quam moles negotiorum subministrat, vt in simili dicebat *Bald. in c. vno delegatorum. n. 5. de offic. delegat. Petrus Barbos. in dict. l. 1. art. 4. sub n.* 105. *D. de iudic.* Et insuper præfata limitatio, vti coniecturalis, cedit ipsi magistratus institutioni, expresse contrarium caventi, quemadmodum in Toletana Commissariatus de anno 1583. disserte, & absque vlla ambiguetate decernitur.

68 Quarto respondetur, creationem Commissarij Indici præcipuè factam fuisse ob favorem, & beneficium Familiæ Franciscanæ apud Americam conversantis, vt hac via eorum necessitatibus, & regimini facilius, & expeditius consuleretur: secundario tamen in gratiam nostri invictissimi Principis, qui zelo propagandæ, & tuendæ Religionis accensus, illius muneris institutionem procuravit, vt in Tabulis Toletanis de anno 1583. explorate significatur. Vndè surgit, iurisdictionem ei ad tributam fore metiendam penes causam principalem, & proximam, non penes remotam, & secundariam: vt sciamus, an persona, cuius contemplatione dicitur concessa iurisdictio, regulam acumulationis inflectat, & privativam censeri cogat. Nam & certum est, omnem dispositionem à sua causa regi, restringi, & ampliari, *l. adigere. 6. §. Quamvis. D. de iur. Patronat. Angel. cons.* 86. & *cons.* 248. *n.* 3. quæ virtus solum tribuitur causæ proximæ, & finali, non secundariæ, & impulsivæ, *Augustin. Barbos. Axiomat.* 40. *n.* 4. 5. & 6. Ast Religiosorum favor exposcit, & sitit iurisdictio-

ctionem acumulativam, vti magis consonam, & atemperatam suo statui, vt supra astruximus: ergo iniuncta Commissario Indico, flecti non potest in privativam propter favorem personarum, in quorum beneficium adinventam esse iactatur.

69 Volunt adversarij, & anxie inhiant, nostrum invictissimum Regem constituere præcipuum huius muneris creditorem; quasi ea adseveratione Diademati famulentur, & Religioni adscribant, Commissarium Indicum, Provinciasque ei decretas à sacris paternis Ministri Generalis exuere, & inter Fratres Americanos exardium facere.

70 Invtilem, quippe, intromittunt quæstionem; namque & si prædictis Reverendissimus Antistes consentiat, gratiaque disputationis, permittat nominationem Commissarij iuxta Statuta Toletana ad ius Patronatus nostri Catholici Principis attinere: in articulo tamen iurisdictionis (de quo præsens disputatio est) neutiquam condescendere potest. Quia illa non fuit impartita Maiestati, *c. fin. de iur. Patronat.* Sed Commissario, qui ab alio infra Pontificem, quam à Religione mitti non potuit, *Paul. ad Roman.* 10. *Quomodo vero prædicabunt, nisi mitantur*? Est ergo Rex noster præcipuus creditor Commissariatus in præsentatione: Commissarius vero, & Familia Americana in iurisdictione.

71 Ad quam certe, eiusque modam non protenditur ius Patronatus, quia ei omnino extranea est; *c. si quis Principum.* 25. *c. fringentius.* 27. *caus.* 16. *q.*7. Docent *Hostiens. & Innocent. in c. cum & plantare, §. In Ecclesijs de Privileg. & cum alijs Lambertinus de Iur. Patronat. lib.* 3. *q.* 2. *art.* 10. Hoc vno (præter honores delatos *in c. nobis.* 25. *hoc tit.*) Patronis concesso, quod Ecclesiam, saltim auxiliativè, defendere possint, *c. filijs vel nepotibus.* 31. *c. decernimus.* 32. *ead. caus.* 16. *q.*7. *Lambertin. dict. lib.* 3. *q.*2. *per totam*, & præsertim *art.*10. Iam vt appareat, in concine aptari eam sententiam, qua passim circumfertur, Privilegijs principalibus, Patronatuique Regio, aut nunquam, aut difficulter derogari posse, de qua per *Farinac. decis.* 48. *n.* 8. *p.* 1. *Castill. de tertijs. c.* 36. *n.*28. *Noguerol. allegat.* 39. *num.* 32. *Autunez de do-*

donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 11. sub n. 108. D. Solorçan. de iur. Indiar. lib. 3. c. 2. ex n. 18. quia in præsentiarum iura Regia, nec in minimo læduntur.

72 Instant. Per licentiam, quæ asseritur Ministro Generali, præveniendi primarias cognitiones in Provincijs Americis, muneri Commissariatus multum detrahitur: hæc imminutio reddit Regium Patronatum minus decorosum, fedus in eius reservatione initum infringitur; ergo ferenda non est, vel Regia manu comprimenda.

73 Hic sylogismus ferme complectitur vniversam contradictionem, & repetitas protestationes, quas eruditissimus, cum & zelosissimus Regij fisci Patronus emisit; hoc forsam consilio, vt præclara eius officia apud nostrum invictissimum Regem, de iustitia Ministri Generalis prudentissimè instructum, excusarentur, & zelo, quo rapitur Administri fidelissimi, accepta ferantur. Optimè quidem: nam & Principes in perdendis Regalibus velle non habent, *D. Salgado de Supplicat. p. 1. c. 1. n. 111. & 112.* Quo vno fundamento, missis cæteris quæ manu locupleti idem vir sapientissimus concinat, affatim excusatum censemus.

74 Argumentatio proposita duo involuit. Vnum pertinet ad iurisdictionem nostri Regis, eiusque supremi Indiarum Senatus, ad effectum dirimendi hanc controversiam cognitione iudiciali. Alterum ad ostendendam iniuriam illatam muneri Commissariatus ex prætensa authoritate Ministri Generalis. Primum triplici fulcro suadetur. Protectione Regia, seu remedio tuitivo generali, de quo *D. Salgado p. 1. de supplicat. c. 1. Autunez de donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 31.* Iurisdictione ex Regio Patronatu descendenti, vt in principalibus rescriptis Philippi II. & Philippi III. ad notatis post *l. fin. tit. 6. lib. 1. Recop. D. Salgado de Supplicat. p. 1. c. 1. n. 139. & de Reg. protect. p. 3. c. 10. ex n. 188. D. Solorzano tom. 2. de Iur. Indiar. lib. 3. c. 3. ex n. 27.* Et demum in delegatione Apostolica, quam pro Indis Occidentalibus ex Bulla *Alexandri VI.* nostros invictissimos Reges habere testantur quam plures classici *DD. cum D. Solorzano tom. 2. de Iur. Indiar. lib. 3. c. 2. ex n. 37.*

Hoc

75 Hoc non ilepide addito: quod licet prædictá delegatio ad finem conversionis emanaverit, derivari tamen valeat ad cæteras causas Ecclesiasticas illius novi Orbis, si forsam impedimento sint conversioni, ex ratione *tex. in c. 1. de offic. delegat.* vt non in ab simili casu observavit *Emanuel Rodriguez tom. 1. q. Regul. 35. art. 2.* quem laudat *D. Solorzano tom. 2. dict. lib. 3. c. 2. n. 51. & c. 27. n. 33. & 34.* Quod vtique non adseveramus, sed sub censura Sanctæ Matris Ecclesiæ dictum esse volumus.

76 In primo membro, quod Fisci Patronus defensandum suscepit, contradictorem non habet. Quia Ministro Generali vnquam subijt in mentem, quantum in se est, & salva Ecclesiasticæ immunitatis excellentia, alium à nostro Rege Catholico censorem proquiritari. Edepol scit, ius suum cuique ex dignitate tributurum. Quod autem controversiam istam levato velo (vti Religiosos decet, *c. qualiter, & quando 24. ad finem, de accusat. Panormitan. in c. cum conting it de for. compet. Deluca. de Regular. discurs. 1. n. 14. discurs. 22. n. 3.*) dirimendam decreverit, hoc non insimulari, nec protestari, sed potius laudari, & ex tolli debuisset.

77 Secundum membrum petit principium. Oportet, vt ostendat Fisci Patronus, muneri Commissariatus in aliquo derogari ex his, quæ illi in fundatione ad tributa sunt. Si id non præstiterit, provt nec præstat, nec præstiturum fore timemus, qualitatem iurisdictionis privativæ, de qua est contentio, supplere non poterit, neque *manu Regia*, neque *delegatione Apostolica*, neque *iurisdictione ex Patronatu descendenti*. Quia hunc articulum dandi, vel negandi, augendi, vel minuendi iurisdictionem Commissario Indico super Provincias ei decretas, nostri invictissimi Principes suæ ditionis vnquam esse voluerunt, *c. si Imperator. 11. distinct. 96.*

Tertium Argumentum.

78 Tertium argumentum. Reverendissimus Minister Generalis in institutione, quam facit de Commissario Indiarum, vicces suas plenariè mandat, vt eo munere inauguratus, tamquam *alter nos*, evellat, ædificet, dissipet, & plantet: ergo per huiusmodi æfrentissimam

mam delegationem, seu constitutionem, omnem potestatem à se abdicare, & in Commissarium trasferre videtur: adinstar populi, quando Regem præfecit, *l. 1. D. de Constit. Princip.*

79 Huic argumento factum fuit satis in superioribus, & quidem ineluctabiliter. Nunc autem ornatus, & exempli gratia exhibere libet locum *D. Ambrosij, c. 3. de fide ad Gratianum*, ibi: *Quod si putant, dicendo, quibus datum est à Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, aut sibi aliquid derogavit: dicant vtrum, & illic putent, Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio filius de Patre: Pater non iudicat quemquam? Quod si sacrilegium putamus dicere, quod ita iudicium detulit filio, vt ipse non habeat (habet enim, nec potest amittere quod habet Divina Maiestas) sacrilegium vtique stimare debemus, &c.* Connaturalis est ex suppositione muneris Ministro Generali Monarchica authoritas supra vniversum Ordinem Seraphicum, Paternitas erga omnes illius alumnos: ergo per destinationem, & delectionem vnius, aut plurium Commissariorum ad eam explicandam cum plenitudine potestatis in his, vel in illis Provincijs, censendum non est Illam à se penitus abdicare.

80 Hæc consequtio indubitanter procedit in iurisdictione Ordinis iherarchici, & Regularium: quia secundum se appetit concursum acumulativum superioris, quo deficiente haud salvari potest. Docet *D. Bonaventura in exposit. Regul. Sancti Francisci, c. 9.* in hæc verba: *Cura Pastoralis non est dominium, sed dispensatio, & officium Ecclesiasticæ potestatis. Vndè iherarca secundum Dyonisium est potestas ordinata, ad disponendum sacra omnia potestatis subiecta. In potestatibus autem ordinatis, quidquid potest inferior, etiam potest superior, & non è converso; vndè & ipse iherarca habet totam potestatem in se ordinatam, quæ est in iherarchia, per varios gradus distributa: Vndè nominans iherarchiam, nominat omnem iherarchiam potestatem. Vndè docet Dyonisius. 1. Ecclesiastic. iherarch. licèt ille iherarca alijs tradat sibi subditis potestatem, manet tamen apud eum ordinaria potestas ad agendum omnia, quæcumque per sibi subditos fieri possunt ad salutem fide-*

delium procurandam. Et quia quidquid potest ex ordinaria potestate, seu authoritate, potest alteri committere, & quod potest per se, potest per alium in adiutorium sibi subditarum potestatum mittere opitulationes, quotiescumque sibi videbitur expedire: alioquin nimis periclitaretur status Ecclesiæ, si Papa, vel inferior iherarca videns suis subditis curæ non sufficere, nec se ipsum posse in omnibus adesse, non posset viros idoneos mittere vice sua. Si hunc Seraphici Ordinis indigetem, & Didascalum præiudicio non suggilaverint, quod Generalem Ministrum egerit, & præscius istius controversiæ proximam paraphrasim scripserit, absdubio illius iudicio stare debebunt: nam quod Adechastus fuerit, minimè negabunt.

Quartum Argumentum.

81 Quartum argumentum. Iurisdictioni Reverendissimi Commissarij inest qualitas amplitudinis ex præscriptione; hac via & titulo comparata, privativa censetur, *c. auditis. 15. vbi Augustin. Barbos. n. 5. de præscript.* ergo.

82 Pudet hac in re prolixum ad texere commentarium, quia ipsa facti series satis notat obiectionem: & cum doctis scribam, luculenter me facturum existimo, si locum *Augustini Barbos.* exhibuero, qui omnia huc spectantia ferme complectitur. Is enim elaboratissimus *Author p. 3. de potest. Episcop. allegat.* 124. *num.* 13. Ita scribit: *Sed dubium remanet, data præsumptione iurisdictionis, seu possessionis cumulativæ, quid probandum ad eam præscribendam contra illum, qui iurisdictionem exercet, vel possessionem habet cum alio cumulativam? Dic quod necesse habet, illam probare cum ista qualitate, quod scilicet actus possessionis fecerit privativè quo ad alium, Mantica decis. 207. n. 1. cum seqq. Seraphin. decis. 399. num. 1. Post. dict. observat. 73. n. 29. Et quod etiam probet prohibitionem, & quod adversarius prohibitioni acquieverit, Greg. XV. decis. 272. n. 1. & decis. 493. num. 1. Post. dict. observat. 73. num. 30.*

83 Alius est locus non minus dissertus, & velut ab specie *Card. de Luca sub titulo de Regular. discurs.* 7. in quo transcribendo, præsertim *n.* 4. & 6. negotium non facessissem: sed

quia liber iam cunctis fere professoribus, maximè his qui in foro versantur, obvius est, contentus ero postremam illius periodum exhibere: *Clarius vero dum idem Minister Generalis continuare dicitur in huius tertij Ordinis superioritate, atque in prerogativa, vt sit eius caput, & superior, dum per reliquum Orbem actu iurisdictionem, & superioritatem habet Ordinis prædicti; qui tamquam vnicus, & idem habere non potest plura capita, ne detur monstrum plurium capitum in vno corpore. Ideoque visitator, qui per solam Italiam eligi solet, dicendus non est caput Ordinis, sed Prælatus inferior, Ministro Generali subordinatus, eodem modo, quo in eadem Religione Minorum sunt Commissarij Italiæ, ac respectivè Hispaniæ in Curia Romana, vel in Curia Regis absente Generali.*

84 De dictionibus: *Omnimoda, & cum plenitudine potestatis.* Quibus hæret Commissarius, vt se in Americis Provincijs Exarchium faciat, non curamus: quia illæ secundum subiectam materiam interpretantur, *Barbos. dict.* 239. *n.* 7. 8. & 11. & *dict.* 261. *n.* 10. sed præsens dissertatio est circa iurisdictionem Regularium, quæ suapte natura exigit Ordinem iherarchicum, & cumulativum: & alias in fundatione Commissariatus reservata fuit authoritas Ministri Generalis: ergo.

85 Huc spectare videtur illud inclamatum exemplar rescripti Regij de anno 1644. Mem. num. 105. & 106. quo iussum fuit, vt Diploma *Vrbani VIII.* expeditum in gratiam Ministri Generalis pro visitatione, & duratione Commissariorum Generalium Mexicani, & Peruani, Mem. n. 103. & 104. Et quæcumque alia per Senatum non licenciata, sequæstrarentur. Cuius authoritate rescripti Limense Prætorium sub die 27. Aprilis anni 1645. memoratum Diploma repressit, Mem. num. 107.

86 Minus apte hoc exemplar objicitur in vim contrariæ observantiæ: quia nihil in eo relegitur, quod authoritati Ministri Generalis adversetur, vel detrahat, neque privativam Commissarij Indici iurisdictionem suadeat. Scopus fuit, rescripta Pontificia pro ecclesiasticis Americis causis indulta, quæ faci-

facili obreptione, aut subreptione impetrantur, seu importunis præcibus extorquentur, non aliter eas traijcere Provincias, quam prævia recensione Senatus licencientur. Quod neutiquam abnuit Minister Generalis, neque de hac Regalia bellum nostro invictissimo Principi indicit. Male ergo ad dissertationem præsentem casus iste trahitur, cum illam specifice non attingat, *Alex. cons.6. lib.5. Roland. cons.80. n. 10. lib. 1. Gregor. XV. decis.451. n.7.*

Quintum Argumentum.

87 Quintum argumentum. Si in Ministrum Generalem cooptatus fuerit exterus, Hispani nominis inimicus, potest in illum nouum Indiarum Orbem, à cunctis Gentibus accitum, ingerere conversationem, Religioni non proficuam, & regimini politico exitialem: ergo vt his malis occurratur, satius & convenientius est, iurisdictionem Commissarij, qui semper Hispanus est, privativam asserere, efficere.

88 Hæc obiectio extra orbitam est, & si aliquid probat, (redolet namque ideam) Pontificiam legem exigit; qua munus Commissarij, antiquata Regula Sancti Francisci, privativum, & exemptum ab imperio Reverendissimi Ministri Generalis declaretur. Id enim interpretatione doctrinali (quæ omnibus patet. *l. nam vt ait.* 13. *D. de legib. Excellentissimus Crespi, observat.* 1. *n.*67.) fieri non potest: sed opus est legis authoritate, *l. si imperialem.* 12. *C. de legib. c. inter alia.* 31. *de sent. excommunicat.* ab hac inter Religiosos condenda nostri gloriosi Principes se abstinent, *c. quæ in Ecclesiarum.* 7. *c. Ecclesia Sanctæ Mariæ.* 10. *de Constit.* Ergo adiri debet summus Ecclesiæ Præsul, vt eam sanciat, & cauillo huic, somniatoque malo repagulam ponat.

89 Verum timor, quem patetice describunt, omnibus nummeris vanus est. Habemus enim leges dissertas, quæ malis expensis obviam eunt. Provident, vt Religiosorum nullus, nisi à Prælatis missus, & Supremo Indiarum Senatu licenciatus, ex Hispania soluat, & in illas novi Orbis partes traijciat. Vt illic commorantes, non missos, illicenciatos, & alienigenas, Proreges, Præsides, Prætoria, & Reliqui Magistratus non

pa-

patiantur. Super omnium conversatiónem invigilent, & quos in Rempublicam peccare viderint, authoritate propria, suorumque Prælatorum, vel exilio, vel expulsione compescant, *l.3. & multis sequentibus. tit.14. lib.1. l.49. tit.3. lib.3. Recop. Indiar. D. Solorzan. de Indiar. gubernat. lib.3. c.26. D. Pedro Fras. de Reg. Patronat. Ind. c.7. à num. 21.* Videant Actores Commissarij quam incaute illum timorem sparserint, *l. fin. D. quod met. caus.* Et ansatius, consultiusque fuerit in re prope modum invidiosa ora tenuisse, quam Gallo scisuram Seraphici Ordinis ambienti, viam sternere, ouum cæteris Religionibus ponere.

90 Etenim Reverendissimus Minister Generalis hoc bellum adorsus fuit, non tam iurisdictionem supremam sine causa in Americis Provincijs exerciturus, quam vt authoritatem suo muneri coævam à novis insimulationibus vindicet, & sartam tectam successoribus relinquat. Professurus certè, & opere completurus, si Commissarius in eamdem conspiraverit sententiam; quod rescripserunt *Imperatores valens, & Valentinianus in l.1. C. de offic. Præfect. vrb.* Quam transcribere non erubesco: *Studentibus nobis statum vrbis, & annonariam rationem aliquando firmare: in animum subijt eiusdem annonariæ curam non omnibus deferri potestatibus. Et ne Præfectura vrbis abrogatum sibi aliquid putaret, si totum ad officium annonarium redundasset; eidem Præfecturæ solicitudinis necessitatem mandamus: sed non ita, vt lateat officium annonariæ Præfecturæ, sed vt ambæ potestates, in quantum sibi negotij est, tueantur civilem annonam: sitque societas muneris, ita vt inferior gradus meritum superioris agnoscat, atque ita superior potestas se exerceat, vt sciat ex ipso nomine, quid Præfecto debeatur annonæ.*

Sextum Argumentum.

91 Sexto arguitur. In Reverendissimo Præposito duo munera discernenda sunt. Vnum *Ministri*. Alterum *Generalis*. Vti Ministro obedientiam debet, ac profitetur Commissarius Indicus. Vti Generali negat: Sed sub acceptione *Generalis* cadit prætensa iurisdictio; ergo rectè compatiuntur esse subiectum Præposito, tam-

quam

quam *Ministro*, & exemptum ab eo, tamquam Generali, *Discreta enim sunt iura* (dicebat *Tryphoninus in l. tutorem. 22. D. de his, quæ vt indign.*) *quamvis plura in eamdem personam devenerint.*

92 Hoc sophisma paralogismo proximum est, & sola constructione nominum diluitur. Terminus *Minister* est nomen officij, muneris, & dignitatis: illi est anexa iurisdictio, & imperium. Adiectiuum, seu prædicatum syncathegorematicum *Generalis* est nota amplitudinis, & extensionis illius muneris, quo significatur Reverendissimum Ministrum omnibus Seraphicæ Familiæ alumnis, nullo dempto, præesse. Qui ergo Reverendissimo Ministro, vt tali, se subiectum profitetur, etiamsi illi adimat super additum *Generalis*, non propterea subiectus esse desinet: quia hoc prædicatum non tribuit iurisdictionem, sed datam extendit; non enim est nomen substantiæ, sed accidentis. Necesse igitur est proclamanti in libertatem, vt respectu sui in Reverendissimo Præposito rationem *Ministri* destruat, & obliteret, emancipatum se ab eo ostendat: quia adinventum effugium *Generalis* non est modus legitimus nanciscendæ exemptionis.

93 Scopus distinctionis, & maxima quæ in ea delitescit, est, obedientiam, & reverentiam verbo tenus præstare Reverendissimo Ministro, & re ipsa illius potestatem eludere, Prælatum dicere, & iudicem non agnoscere. Sed modus ipse proponendi, saggitam retorquet. Contrariæ profectò sunt huiusmodi assertiones: *Reverendissimum Præpositum, meum agnosco Ministrum. Eundem non agnosco meum Generalem.* In prima fatetur Commissarius potestatem, imperium, & iurisdictionem Ministri, quia vt tali hæc omnia insunt; ac insuper & per necessariam consequentiam illi esse subiectum, & ad suam dictionem spectare. In secunda asserere intendit, esse extra territorium eiusdem Ministri: esse, & non esse in traditionem alicuius contraria sunt: ergo:

94 Coniector, hoc argumentationis genere voluisse Commissarium pro se expendere sententiam, *tex. in c. auditis. 15. de præscript.* quo probatur, partem diæcesis posse præscriptio-

criptione eximi à iurisdictione Episcopi, qui illius Princeps Ecclesiasticus, & dicitur, & censetur. Verum in hac positione imminebat ei periculum probandi exemptionem Provinciarum Americarum ab Imperio, & potestate Ministri Generalis, *c. cum persona. de privileg. lib. 6.* Hanc Commissarius non aliundè, quam ab Statutis, & ordinationibus Seraphicæ Religionis petere potest: ergo si hanc probationem non præstat, sicuti eam præstare impossibile est, incaute eam Provinciam agreditur.

95 In novissimis apologeticis superior obiectio paulo suavius orditur. Dicunt. Subiectio Commissarij Indici erga Ministrum Generalem (quam reverentissimis expressionibus non semel profitetur) sufficienter salvatur per facultatem audiendi appellationes, & supplendi negligentiam: vtramque asserit Commissarius Reverendissimo Ministro: ergo obedientia eidem debita non est impedimento, quominus Indiarum Commissarius Prælatum Ordinarium, privatiuum, & independentem agat in Provincijs suo muneri contributis. Huic argumentationi fecimus satis in superioribus, num. supra cætera percurramus.

De Confessione.

96 Vere igitur ad se reversus, meliusque sibi constans Commissarius Indiarum, pro omnigena pietate, qua pollet, sequentes emisit confessiones: *Que no ay concordia, ley de la Religion, ni Bulla Apostolica, que le eximiesse à su Reverendissima, ni à las Provincias, ni Religiosos de las Indias de la inmediata obediencia del Reverendissimo Padre General, como vnica cabeça, y supremo Prelado ordinario de la Religion, ni que à el dicho Reverendissimo Padre Ministro General le despojassen, ni abdicassen de el supremo, ordinario, è inmediato dominio, y govierno de las dichas Provincias, y Frayles de Indias.*

97 Quam confessionem post inducias ad deliberandum præstitas ita geminavit: *Que no ay concordia, ley, ni Bula, que exima expressamente à el Comissario General de Indias, ni à los Fraytes de aquellas Provincias de la obediencia, y jurisdicion del Reverendissimo Padre Ministro General de toda la Or-*

Orden, ni como Ministro General, ni como General: por ser vnica, y Suprema Cabeça de toda la Religion. Y assimismo, que no ay concordia, ley, ni Bula Apostolica, que expressen, que su jurisdicion es privativa ad Generalem. Solo tiene entendido, que es Prelado Ordinario, y con inmediata jurisdicion de las sobredichas Provincias de Indias, subordinado con todos sus subditos à el Reverendissimo Padre Ministro General, como segun reglas, y leyes lo estàn todos los demàs Prelados, y subditos de la Religion.

98 Confugiunt ad Regium asylum dicentes: hanc apertam confessionem nocere non posse nostri Invictissimi Principis Patronatui, quem in vniuersa Indiarum Familia Seraphica habere dignoscitur, & iuri in creatione Commissariatus per concordiam sibi reservato, *l. si sine. 9. §. fin. D. de interrogat. act. l. non debet. 74. D. de reg. iur.*

99 Regium Patronatum agnoscimus, inventionem huius muneris, nominationem, splendorem, & cætera, quæ illud circunstant, nostris Catholicis Regibus accepta ferimus, & laxis fibris prædicamus. Quid hæc omnia commune habent cum subiectione, quæ volutatur? Commissarius sit in novo Indiarum orbe *alter nos*. Deligat eum noster Monarcha, sedeat in quatuordecim, regat & moderetur omnes Americas Provincias, habeat plenitudinem potestatis. Nihil horum detrahit Imperio & Monarchico Regimini Reverendissimi Ministri Generalis, *c. dudum 14. cum suprà notatis, de præbend. in 6.* in consentanee igitur omnes isti lapides revoluuntur.

100 Præterea traducunt illam confessionem, quod metu extorta fuerit: quasi iustum timorem Reverendissimi Ministri Generalis iussus induxerit. Vix oculis meis credo, cum hanc allegationem in publicum editam conspicio. Respondeat sententia, *tex. in l. fin. D. quod met. caus. l. 1. C. de Prædijs Decurion. lib. 10.* Vbi non solum præsentia Iudicis, præsertim Religiosissimè, timorem non infert, sed incussum pellit, *Maschard. tom. 2. conc. 1055. num. 5. & 6.* Aliàs quam plures titulos in iure deleas necesse est.

102 Reliquæ excusationes de præiudicio Regaliæ, & subauditione confessæ subiectionis in facultatem audiendi appellationes, vltra quam declarationibus Reverendissimi Commissarij è regione adversantur, convictæque remanent; principium petunt. Id enim ipsum tota hac dissertatione quærimus, & volutamus. Iam vt sine iusta cuiusquam reprehensione vsurpare possimus sententiam *Iustini Imperatoris in l. generaliter. 13. C. de non numerat. pecun.* eis verbis: *Indignum esse iudicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.*

AD SECVNDVM.

103 Respondeo, deputationem Procuratorum & Responsalium priuatiuè pertinere ad Reverendissimum Ministrum Generalem. Quod sic ex ratione iuris communis, quæ adnotari solet *in c. edoceri. 21. de rescript. & in c. cum deputati. 16. de iudic.* atque attentis Seraphici Ordinis Costitutionibus docent *Rodriguez tom. 1. q. Regul. 53. art. 1. Miranda in Manual. Prælat. tom. 2. q. 13. art. 1. Sanct. de Melph. in Comment. Moral. Const. Ordin. c. 8. statut. 27. Gubernat. in Orbe Seraphic. tom. 1. lib. 3. c. 23. §. 2. num. 12. & 17.*

104 Et speciatim loquendo de Indiarum Prouincijs Congregatio Segoviensis sub anno 1621. hunc articulum disserte deffinit: *Declarat Capitulum Generale, Procuratorem, vel Commissarium Romanæ Curiæ pro nostra Cismontana Familia designatum, pro omnibus præfatæ Familiæ Prouincijs, etiam Indiarum, tam Occidentis, quàm Orientis, intelligi debere constitutum. Quapropter Indicis Prouincijs præcipitur, vt ad prædictum Procuratorem, vel Commissarium immediatè transmittant negotia in Romana Curia tractanda.* Testatur *Gubernat. in Orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. c. 23. §. 1. n. 9.*

105 In statuto Romæ edito sub anno 1676. *Declaratur, ad Procuratorem Generalem Ordinis spectare instantias, quæ fieri solent in Cappella suæ Sanctitatis pro actu beatificationis;*

nis, vel canonizationis servorum Dei ex nostra Religione, cuiuscunque ipsi Servi Dei Familiæ sint.

106 Nisi Commissarius primam assertionem, falsam dixerit, secundam, quæ Indicas Provincias comprehendit, & diutina observantia evidentem reddidit, negare non potest. Quemadmodum ipse in sua Augustiniana confessione palam professus est: *Que no ay ley, ni constitucion, que prohiba al Ministro General la institucion, ò confirmacion de qualesquiera Agentes, ò Procuradores de la Curia Romana, u otra qualquier Curia de todas las Provincias de la Orden, aunque sean de las Indias.*

107 Dicunt primò, regulam stare pro Commissario Indico erga Vniversum Provinciarum Americarum Regimen, vt quæcunque ei liceant, quæ ad illud explicandum necessaria sint; nisi specialiter Ministro Generali reserventur, *l. 2. D. de iurisdict. omn. iudic. c. præterea. 5. c. significasti. 7. c. litteris. 9. de offic. delegat. Vela. dissert. 45. sub num. 91.*

108 Hæc assertio quasi per ex cursum & incaute proposita, ne dum iuri adversatur, sed & authoritatem atque reverentiam Ministri Generalis offendit, & sugillat. Est equidem Reverendissimus Antistes in Vniverso Ordine Franciscano Summus, immediatus, Ordinarius, & præstantior Prælatus; pro eoque viget regulà Vniversalis Regiminis; quam qui declinare voluerit, se exemptum docere tenetur, *c. cum persona, de privileg. in 6.* Vndè Commissario, & cuicunque alij Iudici speciali imminet onus probandi amplitudinem iurisdictionis sibi concreditæ: quia quidquid ipsa non capiat, apud Supremum & Vniversalem Præfectum præter acumulativum concursum remanere & existere fatendum est, *c. auditis. 15. de præscript.* Quemadmodum Philosophatur in novissimis legibus, *l. præcipimus. 32. C. de appellat. cum alijs per Autunez. de donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 10. num. 122.* Minus ergo reverenter, minusque iuridice hanc constitutissimam regulam supplãtare, & pro Commissario statuere tentatur.

109 Secundo dicunt, statutum Segoviense duntaxat referre negotia totius Seraphicæ Familiæ, etiam Indicę, ad Pro-

cu-

curatorem Generalem Romæ agentem: non vero interdicere Indiarum Commissario, quin deputet pro Americis Provincijs quos opportunos iudicaverit. Immo in eodem statuto hanc subijci declarationem: *Quod si aliquod tanti ponderis fuerit, vt ad eius expeditionem necesse sit, aliquem fratrem ex Indicis Provincijs destinare; is primum ad Commissarium Indiarum Generalem in Curia Catholici Regis residentem dirigatur.* Qua videtur sufficienter significari, hanc spartam ad Commissarium privativè pertinere.

110 Respondetur. Facultas deputandi Procuratorem Generalem, quam erga Reverendissimum Ministrum desiderant Adversarij in statuto Segoviensi, à iure communi descendit, & moribus Seraphicæ Religionis comprobatur, vt per *Mirand. in Manual. Regular. tom. 2. q. 13. art. 1.* & cæteros supra laudatos. Vnde necessarium non fuit, vt Comitia Segoviensia eamdem Ministro Generali de novo assererent; sed tamtundem declarare procurationis extensionem; qua sufficienter Commissarij Indici (si legibus Religionis vivere studet) conatus restinguitur.

111 Quod replicant de additione, seu declaratione statuti, (quam non exhibuisse, apud adversarios grande piaculum fuit) id ad cassum necessitatis refertur, quem legibus non teneri haud moriones nesciunt. *l. vt gradatim.* 11. *§. Quotiens. D. de munerib. & honorib.* Vsque adeo, vt ob eum succurrendum, Principes de sua disimulent potestate, *c. si quando. 5. de rescript.* & illam ab inferioribus vsurpari non excandescant, *Sanchez de matrim. lib. 2. disput.* 40. in his enim vrgentissimis casibus, quibus Minister Generalis ex tempore providere non potest, æquo animo feret, vt Provinciæ ipsæ Procuratores speciales deligant, & Commissario Indico dirigant, post eius censionem ab ipso Generali Ministro benedictionem & exercitium accepturos. Quæ est sane mens constitutionis; vt exprimitur in constit. de anno 1658. ibi: *Inhibetur, ne Provinciarum Procuratores ad Romanam Curiam, nec ad Curiam Matritensem, nec aliorum Principum deinceps mittantur, nisi de licentia in scripto Reverendissimi Ministri,*

nistri, aut Commissarij Generalis (loquitur de Commissario Familiæ) *& aliter missi puniantur tanquam apostatæ : nec propterea tollitur à Ministris Provinciarum vna cum suis diffinitorijs facultas mittendi , ob negotia vrgentia.*

Orb.Seraph.tom. 4. pag. 153.

112 Tertio dicunt , Statutum Romanum de anno 1676. non esse auscultandum , eo quod vergat in damnum Commissariatus , cui non anuente nostro Rege Catholico, nihil detrahi potest , ex Constit. Victoriana , de qua infra Sermonem habebimus. Et præterea idem Statutum non esse decretorium pro Ministro Generali propter verba sequentia : *Deindè præcipitur omnibus Procuratoribus particularibus causarum Beatificationis, vel Canonizationis, vt nihil in ipsis agere præsumant inconsulto Procuratore, vel Commissario Curiæ respectivè : quod intelligendum etiam est de reformatis, &c.*

113 Prima pars obiectionis vnum supponit , & alterum asserit. Supponit, relata Statuta Romanum , & Segoviense ademisse Commissario Indico insitam facultatem deputandi Procuratores. Asserit, hanc ademptionem fuisse irritam. Suppositum fundatur in Regula, *l. 2. D. de iurisdict. omn. iudic.* quod concessa iurisdictione veniunt omnia , quæ ad eam explicandam necessaria sunt. Et sub fuco huius brochardicæ sententiæ, in superioribus refutatæ, volunt eludere Statuta Generalia, quæ pro Reverendisimo Ministro scripta sunt. Quis crediderit ? De assertione nullitatis in dub. 4. tractabimus.

114 Secunda pars obiectionis desumpta ex verbis suprascriptis Statuti Romani , collimat in eamdem permissionem ; quæ facta fuit in Segoviensi de anno 1612. vt, scilicèt in casibus necesitatis, & vrgentiæ valeant Provinciæ deligere sibi Procuratores. Qui profecto à Commissario Indico recensiti, & à Ministro Generali probati, in causis Canonizationis , consulto Procuratore Vrbis, & non aliter, procedant. Hic est sanus, verus, & genuinus intellectus præfati Statuti Romani , quem qui alio deflectere voluerit , contradictionis vitium, aut saltim subitæ correctionis nævum non evitabit, quod de nulla lege , nemineque sibi conscio præsumendum est, *c.*

cum

cum expediat. 29. de elect. lib. 6. l. cum hic ſtatus. 31. §. 1. D. de donat. inter. Barboſ. Axiomat. 60. n. 2. 5. & 7.

115 Sed & interim notandum eſt, Commiſſarium Indicum morem gerere dictis Statutis Romano, & Segovienſi in Capitulis, quæ ei propicia videntur; reſpuere tamen, & ex leges dicere in ea parte, in qua favent Miniſtro Generali: quod ſane abſonum eſt; quia in ratione legis individua ſunt, & libertatem vllam relinquunt; illa partim agnoſcendi, & partim repudiandi, *l. cum quæritur. 16. D. de adminiſtrat. tutor. l. Gaius. 11. §. Fin. D. de vſur. l. in cauſa. 17. D. de procurat. Eſcobar. de ratiocin. c. 13. n. 15.* & alibi paſsim.

116 In hac etiam re obſervantiam reflectunt, de cuius debili, & prorſus contemptibili probatione nonnulla ſupra dedimus. Sed ne rurſus philologicis concentibus propoſita, legentibus obtrudatur, notare libet, multum intereſſe inter obſervantiam interprætativam, & præſcriptivam. Illa ſolo decennio, vno aut duobus actibus, etiam mala fide exercitis conflatur, *Barboſ. in c. cum dilectus. 8. ex n. 6. de conſuetudin.* Hæc omnes conditiones præſcriptionis requirit *Rota deciſ. 59. p. 10. in recent. Deluca. de iudic. diſcurſ. 35. n. 65.* Rurſus obſervantia interprætativa duntaxat in obſcuris, & dubijs diſpoſitionibus procedit, in claris, & diſſertis neutiquam, *Seraphin. deciſ. 1410. n. 24. & 25. Greg. XV. deciſ. 184. num. 5. & 6.*

117 His obſervationibus hanc incautationem tam crebro repetitam facile evitabimus. Nihil non prætendit Commiſſarius Indicus in hoc diſputationum pancratio, quod diſſertis Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Seraphicis è regione non opponatur, qualia ſunt, quæ in hoc articulo præmiſimus, & volutamus: ergo obſervantia interprætativa, qua ipſas leges impetere ſatagit, vilipendenda eſt, *l. 3. c. de liber. præterit.* ibi: *Cum enim manifeſtiſsimus eſt ſenſus teſtatoris, verborum interprætatio nuſquam tantum valeat, vt melior ſenſu exiſtat.*

118 In ratione præſcriptionis haud quaquam procedere poteſt: quia maculata, & corrupta eſt apud Commiſſarium Indicum fermento malæ fidei, *c. fin. de præſcript.* quæ certè ex

re-

retentione, & crebra Statutorum lectione consurgit præsumptionemque bonæ fidei fugat, & exterminat, ex celebri *cons. Geminian. 96. n. 4. Rota decis. 324. n. 8. p. 1. recent. & apud Cavaler. decis. 91. n. 10. apud Burat. decis. 912. n. 9.* & in specie *Cardinal. de Luca* omnino legendus, *subtit. de Regularib. discurs. 7. n. 4.*

AD TERTIVM.

119 Respondeo, institutionem Vicce-Commissarij Hispalensis pertinere ad Reverendissimum Ministrum Generalem, Hispaniæ agentem: eo tamen absente, ad Reverendissimum Commissarium Indiarum. Probatur ex Romana Constitutione de anno 1587. ibi: *Decernitur, vt in Hispalensi Sancti Francisci Conventu vnus aliquis probus Pater super Fratres, tàm Indias adeuntes, quàm ab eis redeuntes, Vicce-Commissarius instituatur: qui tamen Vicce-Commissarius absente Generali Ministro, à præfato Generali Indiarum Commissario eligendus, instituendusque veniat.* Quæ Constitutio laudata, & probata fuit in alia Romana Congregatione de anno 1600. Et iterum in Segoviensi sub anno 1621. refert *Gubernat. in Orbe Seraphic. tom. 3. c. 122. fol. 370. & c. 124. fol. 580. & fol. 697.*

120 Durationem octonnalem huius muneris in Congregatione Toletana stabilitam de anno 1673. contra regulas obedientiarias, *Lother. de re benefic. lib. 1. q. 33. n. 8. 9. &* 10. proscripsit Capitulum Generale Romæ habitum sub anno 1676. in hæc verba: *Authoritate, & Decreto Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium, negotijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium propositæ, stabilitur, liberum esse Ministro Generali deponere, & removere ab officio Vicce-Commissarium Generalem Indiarum Hispali residentem, ad ipsius arbitrium, provt in Domino expedire cognoverit. Non obstante Constitutione Toletana de anno 1673. & alijs quibuscumque.* Aliquid proprium habere Religiosos Franciscanos procurat, hoc est, interdicta retinendæ: bellumque indicit potestati

Pontificis, qui hanc ſanctionem mordet, *l. 3. C. de crimine ſacrileg. c. exijt. 3. de verb. ſignificat. lib. 6. Clement. exiuit. eod. tit.*

121 Vndè Commiſſarius in has voces prorrupit: *Que toca à el Miniſtro General la inſtitucion, ò remocion à ſu arbitrio del Vicce-Comiſſario de Sevilla, como no eſtè auſente el Miniſtro General; y que tampoco ay ley, ni Conſtitucion Apoſtolica en contrario.* Quonam autem modo accipienda ſit abſentia, aperit *tex. in, l. fin. C. de præſcript. longi tempor.* quam indigito, eo quod videam adverſarios illam intra Regiam Matritenſem concludere.

122 In hoc articulo, cum ſe convictos videant, confugiunt ad congruentias: dicentes, propemodum expedire, vt Vicce-Commiſſarius Hiſpalenſis ad delectum præcipuum Commiſſarij Indici pertineat; quia illius quodammodo coadiutor eſt, & velut organum ſuæ diſpenſationis: & in hoc multam impendunt philologiam, & declamationes hypercriticas, ominoſoſque præſtolantur eventus, vt conſtantiam noſtri invictiſsimi Principis ad ſuam ſententiam trahant. Quibus Miniſter Generalis vno verbo reſpondet: hoc quod inclamant, non eſſe aliqua actione forenſi petendum, ſed præcibus impetrandum.

AD QVARTVM.

123 REſpondeo, electionem, & inſtitutionem Commiſſariorum Generalium Peruani, & Mexicani, privativè ſpectare ad Reverendiſsimum Miniſtrum totius Seraphicæ Familiæ Generalem, vt aperte conſtat ex Congregatione Toletana anni 1583. cui accepta fertur fundatio canonica, & legalis Commiſsiaratus Indici, c. 3. vbi cavetur: *Et quia nimia illarum partium diſtantia impedimentum præſtat, ne occurrentia negotia poſsint à Generali Miniſtro in Curia reſidenti expediri, vel abſolvi, ſtatuitur, vt duo Commiſſarij Generales ſemper reſideāt in illis partibus, vnus pro Provincijs novæ Hiſpaniæ, alter vero in Provincijs del Perù: iſti vero Com-*

Commissarij erunt constituendi per Ministrum Generalem.

124 Quod clarius deprehenditur ex altera Toletana anni 1645.ibi: *Sancimus & declaramus, quod nominatio, electio, missio, visitatio, & correctio Commissariorum Generalium, qui ad novam Hispaniam, & Regnum Peruanum mittuntur, pertineat privativè ad Ministrum Generalem, qui est Supremum Caput Religionis.*

125 Quæ quidem ordinationes de anno 1583. confirmatæ fuerunt à Greg. XIV. sub die 25. Aprilis ann. 1591. & ab *Vrbano VIII.* die 27. Iulij anni 1643. Posterior autem de anno 1645. ab ipsis diplomatibus virtutem & formam accepit. Quod vero attinet ad visitationem, *Concilij Tridentini decreto* fulcitur *sess.* 25. *de regularib. c.* 20. Docent superiorem assertionem *Pater Mirand. in Manual. Prælat. p. 2. q. 14. art. 2. Sanct. de Melph. Comment. Moral. in statut. Ordin. c. 8. statut. 37. fol. 609. D. Solorçan. tom. 2. de Iur. Indiar. lib. 3. c. 26. n. 64.* Si quandoque aliquis Indiarum Commissarius hanc sibi hæreditatem addicere tentavit (vt de Fratre Iosepho Maldonato perhibetur) repulsam pati, male audire meruit. Narrat *Gubernat. in Orb. Seraphic. tom. 1. lib. 3. c. 18. num. 3.*

126 Opponunt Constitutionem Victorianam de anno 1648. quæ sic habet: *Quoniam Catholicus Rex noster litteris suis expeditis Cæsar-Augustæ die 1. Iulij. ann. 1646. iussit Ministro Generali Fr. Ioanni de Napoles, quod Constitutiones Generales 2. & 3. sub tit. pro Indijs Occid. Edita Toleti, ann. 1645. Vna cum mandato lingua vulgari edito, tit. para las Indias, n. 3. reformarentur, aut expungerentur ex Constitutionibus Generalibus, tamquam factæ contra Officium Commissarij Generalis Indiarum, quod est sui Patronatus Regij: quapropter virtute istius mandati declaratur, esse stabilitas absque scientia, & commissione Discretorij Generalis totius Ordinis, & sic revocantur.* Et infra: *Et præcipitur, vt deinceps nihil contradictum Officium Commissarij Generalis Indiarum statuatur absque consensu, & scientia nostri Regis Catholici, aut Consilij sui Regij Indiarum.*

127 Non sedet animo, pro nunc, apocripham dicere hanc

hanc Constitutionem, quia licet non sit scripta in aluo Prætoris, non nulla testimonia illam astruunt: non tamen ita secure, vt disputationi, opportuniori iudicio reservandæ, locus non relinquatur. Libere tamen assero, nihil probare in articulo, quem reflectimus de electione & institutione Commissariorum Mexicani & Peruani: Quia in ea duntaxat derogatur Constitutioni Toletanæ de anno 1645. & subinde altera antiquior anni 1583. in suo robore relinquitur, *l. si quando, 35. C. de inofficios. testam. c. 1. de novi oper. nunciat.* cum alijs: In qua expræssim dictæ electiones Ministro Generali reservantur. Vnde Constitutio Victoriana quo ad hunc articulum imbelle proijcitur.

128 Secundo, quia non habet vim Constitutionis in his quæ spectant ad munus Reverendissimi Ministri Generalis; nam duntaxat rogata fuit à Familia Cismontana, non ab æcumenico Seraphici Ordinis Conventu, qui solus suo Præfecto legem dicere potest, *Mirand. in Manual. tom. 2. q. 13. art. 1. ad finem.* Cæteris autem subalternis Congregationibus aptatur sententia, *tex. in c. cum inferior. 16. de maiorit. & obedient. Ne Romani. in princip. de elect. D. Larrea. allegat. 44. n. 1. Autunez, de donat. Reg. lib. 1. p. 2. c. 10. num. 25.*

129 Tertio, quia præfatæ Constitutiones Toletanæ, quæ favent Ministro Generali, per confirmationem Apostolicam redditæ fuerunt Pontificiæ, *c. pro illorum. 22. de Præbend. c. si Apostolicæ. 22. eod. tit. lib. 6.* Quibus inferior, qui ad id mandatam non habeat facultatem, minimè gẽtium derogare valet, *Felin. in c. cum accesissent. n. 5. de constit. Barbos. in c. cum omnes. eod. tit. & de offic. Episcop. p. 2. allegat. 34. n. 7. Tondut. Canonic. tom. 2. c. 149. Rot. apud Seraphin. decis. 538. Caval. decis. 45. & coram Coccin. decis. 1523. n. 3.*

130 In ex cursu huius articuli excitant, & commiscent alium novissimum Syndicatus & Visitationis prædictorum Commissariorum Generalium Peruani & Mexicani: & volunt hanc hæreditatem addicere Commissario Indico ratione iurisdictionis Ordinariæ. Cum extra omnem aleam præcipua, propriumque (vt ita loquar) patrimonium sit Ministri Generalis,

ralis, ex potestate Monarchica descendens, vt notatur in *l. 1. C. vt omnes Iudices, tam civiles, quam criminales.* Et observat *Bobadilla tom. 2. Politic. lib. 5. c. 1. num. 31.* cui accedunt sanctio litteralis Statuti Toletani de anno 1645. & diutina observantia, quæ late patet, & ostenditur in memor. fol. 48. n. 198. & 199. fol. 43. & 44. ex n. 168. vsque ad n. 191. & fol. 31. B. n. 121. 122. & 123. Explicat Reverendissimus Antistes hæc munia quam frequenter per Commissarios successores, quod iuri patrio, & hodiernis moribus valde consentaneum est, *l. 6. tit. 4. p. 3.*

131 Quibus omnibus testimonijs & fundamentis respondet confessio Commissarij Generalis Indiarum: *Que aviendo visto las leyes en sus originales, dixo, y confessò ser assi, que por dichas leyes, y constituciones de la Religion le toca al Ministro General la nominacion, è institucion de los Comissarios Generales del Perù, y Nueva España: y que no ay concordia, ley, ò Constitucion Apostolica, que disponga lo contrario.* De observantia æquivoca, incerta, & vsurpata, quæ ad hanc rem advocatur, dictum accipias velim id ipsum, quod in superioribus recensui.

132 His documentis, vere decretorijs, ad confusionem vsque convicti, vertunt sermonem (scribendi finis, illis non est obvius) ad probandam iurisdictionem privatiuam Commissarij Indici hoc ratiocinio (de quo sibi blandiuntur, & quasi de invento lapide philosophali gratias agunt) Cõstitutiones Toletana, Romana, & Segoviensis reservant Ministro Generali electiones Commissariorum Occidentalium, Procuratorum, & Vicec-Commissarij Hispalensis: sed exceptio firmat regulam in contrarium, *l. nam quod liquide. 4. §. fin. D. de penu legat:* ergo in cæteris ad regimen vniversale Indiarum pertinentibus Commissarius privatiuam sortitur authoritatem.

133 Facilius respondetur, quam arguitur. Illa sententia, non procedit quando exprimitur in dispositione contrarium illius, quod per argumentum, & discursum exceptionis (qui vere est sub auditus, & coniecturalis) deduci, & separari intenditur, *Alex. cons. 107. n. 2. lib. 1. & cons. 125. n. 4. & 5.*

lib. 2. Augustin. Barbos. Axiomat. 85. *sub n.* 4. Sed Toletana Constitutio in attributione iurisdictionis Commissario facta, disserte cavet, illum fore subijciendum *in omnibus, & per omnia* Ministro Generali: ergo reservationes postea explicitæ in gratiam eiusdem Præpositi, indicio non sunt privativæ iurisdictionis in Commissario. Tum quia natura iherarchici, & Regularis regiminis illam qualitatem abhorret, vt supra cum Sanctis *Dyonisio, Bonaventura, & eximio Suarez* probavimus: hæc & similia cum vigent inconvenientia, exceptio non firmat regulam in contrarium, vt *ex Romano, Anania, & Baldo* observat idem *Augustin. vbi proximè*: ergo.

134 Sensus igitur Constitutionis est, vt Commissarius habeat in Provincijs sibi Decretis eamdem potestatem acumulativè cum Reverendissimo Generali Ministro: cui ob excellentiam primatus, quem gerit supra vniversum Ordinem Seraphicum, reservantur præcipuæ dictæ electiones: hoc sanè consilio, vt Commissarius ad illud fastigium elatus, humilitatem Franciscanam non deserat, & se Ministri Generalis nunquam non subditum profiteatur, soliumque Principi, & capiti Religionis parato conscendere non tentet. Qui intellectus, vtpote cognatus Regulari disciplinæ (quam noster Rex Catholicus toto zelo promovet) & magis consonus legibus Seraphicis, excludit eam sub auditam argutiam, cui tantopere adversarij fidunt. *Federic. de Senis. cons.* 233. *n.* 3. *Barbos. dict. Axiomat.* 85. *n.* 5. Salva, &c.

Fr. Martinus de Salazar, Concionator Regius, Pater, & Custos Provinciæ Castellæ, ac Rmi. Ministri Generalis Procurator.